

sordidis indutum, et lapidem oculorum septem, candelabrum—que aureum cum totidem lucernis, quot oculis, duas quoque olivas a sinistris lampadis cernit et dextris, ut post equos varios, et rufos, et albos, et dissipatas quadrigas ex Ephraim, et equum de Hierusalem, pauperem regem vaticinetur et praedicet sedentem super pullum, filium asinae subjugalis. Malachias aperte, et in fine Prophetarum, de abjectione Israël et vocatione gentium: non est mihi, ait, voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis, usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda. Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, et Danielem quis possit vel intelligere, vel exponere? Quorum primus non prophetiam mihi videtur texere, sed Evangelium. Secundus virgam nuceam, et ollam succensam a facie Aquilonis, et pardum spoliatum suis coloribus, et quadruplex diversis metris nectit alphabetum. Tertius principia et finem tantis habet obscuritatibus involuta, ut apud Hebraeos istae partes cum exordio Geneseos ante annos triginta non legantur. Quartus vero, qui et extremus inter quatuor Prophetas, temporum conscius, et totius mundi philohistor, lapidem praecisum de monte, sine manibus, et regna omnia subvertentem, claro sermone pronuntiat. David, Simonides noster, Pindarus et Alcaeus, Flaccusque quoque, Catullus et Serenus, Christum lyra personat, et in decachordo psalterio ab infernis suscitatur resurgentem. Salomon, pacificus et amabilis Domini, mores corrigit, naturam docet, Ecclesiam jungit, et Christum, sanctarumque nuptiarum dulce canit epithalamium. Esther in Ecclesiae typo populum liberat de periculo, et interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivii et diem celebrem mittit in posterum. Paralipomenon liber, id est, veteris instrumenti ἐπιτομή, tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam scripturarum sibi voluerit arrogare, seipsum irrideat. Per singula quippe no-